



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè  
fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentiis Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701**

**VD18 90029526**

Consult. V. De Unitate Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45487**

in domo ejus. Ipse est thesaurus absconditus, quem qui semel invenerit, vadit & dispersitur omnia sua ad ipsum possidendum, abundè se credit divitem, cumulatè locupletem.

Ah! Cur neminem quasi continet mundus, qui vivat contentus, nisi quod nemo quasi sit, qui, Deum cognoscat, de ipso cogitet, ipsum quærat, vel ipsi placere studeat? O mi Deus, si quis te vel parum cognosceret! Si vel parum obscurum aliquem locum sol subintrat, ac vel minimum luminis sui radium illuc effundat, propediem affert diem, qui solatio perfundat. Et quàm

parum etiam divini luminis tui concedas animæ, O magne Sol æternitatis, tam divino ipsam demulces & accumulās gaudio, quo cuncta creata simul ipsam non possent locupletare. Siquidem si bonum est, quod aucupamur; si pulchrum est, quo delectamur; si illo efficimur, hoc allicimur, quibus o Bonitas omnium Bonitatum, o pulchritudo omnium pulchritudinum, abundas deliciis, illecebris, allectamentis, ad trahenda ad te corda nostra, si te cognoscerent! *Noverim me, Noverim te!* O mi Deus, cognoscam te, ut amem te in æternum ex toto Corde meo!

## CONSULTATIO V.

### De Unitate DEI.

Nemo publicè profiteri audeat Atheismum,

**S**I dicere clam vellet impius in Cordis sui meditullio: Non est Deus, quamprimùm perculsa terrore ipsius anima tam abominandam condemnaret Cogitationem, & omnia illius ossa dicerent præ horrore: Domine quis similis tibi? Si Cogitationem suam protrudere foras & suo excludere sinu audeat, Creata omnia justo animata Zelo in blasphemiam illius, ad conviendum & confundendum ipsum exclamarent: Quis ergò, quod

sumus, & sicuti sumus, fecit nos? Siquidem non sumus à nobismetipsis, nec potuimus nobis ipsis dare, quod sumus; aliàs habuissimus esse in nobis ipsis, antequam illud accepissemus à nobismetipsis.

Si deniq; impietatem suam aliquâ munire ac fulcire vellet ratione, ratio ipsa, à quâ sperabat subsidium, adversus ipsam capefferet arma: Siquidem Divinus hic radius à supremâ Dei ratione procedens, eo fore modo,



do, quo lumen procedit à Sole, deduceret infallibiliter intellectum ipsius ad conspiciendam clarè Veritatem Dei Existentis, sicut radius, Solis nostros deducit oculos ad intuendum hunc omnium luminum visibilium fontem ac scaturiginem.

Qui Atheos agunt, suar similes spectris, quæ contineri nequeunt.

Sic videbis nec unicam ab impio allegari rationem, quæ habeat, non dicam, aliquid Soliditatis, sed nec vel minimæ veri similitudinis. Assimilari videntur larvis illis ac lemuribus, quibus facultas non est magnum inferendi damnum, nisi quod simplicibus terrorem incutiant, aliquantisper perturbent quietem, ac nugis tricisq; mundum ludificent. Et hi aliud non agunt, nisi ut ludos faciant & omnia in risum convertant, de adorandis Religionis Mysteriis non nisi jocando ac explodendo loquantur; Et si quidquam ineptiarum ac deliriorum protulerint in medium, sibi applaudunt, & in tantum habent acceptum, ac si rationem attulissent luculentam & profusus irrefragabilem. Si convincere ipsos volueris Auctoritate Divinæ illius fidei, quæ confodit & confudit sapientiam Philosophorum, quæ dissipavit gentilitatis tenebras per mundum universum, quæ tot ac tantos litteris, doctrinâ ac sapientiâ viros illustres devicit, sibi que subjugavit, nihil omnino cum illis

eviaces, cum nullam profiteantur fidem, nisi illam, quam propriis suis attribuunt phantasiis ac imaginationibus.

Quod si ipsos oppugnare volueris ratione, hæc ipsos carere comperies. Nonne enim ratione destitutum dicas, qui dicit: Nolo quidquam credere: Nunquid enim te credere oportet, talem esse tuum Patrem, talem esse tuam Matrem, teque habuisse & avos & majores, hæcque vel illam rem elapsis contigisse sæculis? Nunquid etiam credas oportet, alias esse in mundo Regiones, alios populos, alias Civitates præter illas, quæ propriis haurias vel hauseris oculis? quid notæ inureretur tibi, si ex his omnibus nolles quidquam credere? Et quomodo hæc credes, nisi fidem attribuendo illi, quod tibi dicunt homines? Oportet ergo aliquid credere, quod non vides, quod non capis, quod scire non potes, nisi ex fide humanâ. Si igitur credere necesse sit infinitas res humanas ex solâ hominum relatione, isque referendus foret inter captos mente, qui hic suam nollet captivare rationem: quanto æquiori jure credendum sit veritatibus divinis ex testimonio Dei ipsius, sicut & renuntiantibus tot ac tantis viris eximiis, excellentibus Sanctis, Doctoribus magnis, nec non ex fide publicâ

tot



tot centenorum millium hominum pluris te existimandorum? Et hic, qui rationem suam captivare nolit, nonne manifestum det signum se ratione captum esse?

Nihilominus invenire est homines, qui dum plenis buccis sapientiam crepant, velut crepundias, stupeadas Religionis Veritates, quas totus reveretur & veneratur mundus, explodunt ac sibilis excipiunt; & hi manifestè ostendunt, qui sic Religionem habent ostentui, nec se fidem, nec rationem habere. Et quid hominibus, qui & fide & ratione carent, reliquum est, nisi quod in omnibus sese sensuum dictamini, velut bruta animantia, permittant. Unde ergo sit illis spes salutis? Sed qui nunquam antiquarum miserationum suarum obliviscitur, Deus; ditior in bonitate, quam ipsi in malitiâ, qui maximorum etiam peccatorum vult salutem, arripit quandòque illos per ipsos sensus, quibus toti immerfi sunt, ut deducat ad rationem, & à ratione attollat usque ad fidem, & postquam illos reverti fecit in se ipsos, tandem & recipit in sinum suum.

Aderam die quâdam Societati insignium duorum, uti vocant, libertinorum, talium nempe, qui omnem contemnunt & nesciunt Religionem, cui quòque interfuerat Catholicus quidam Doctor valde spiritualis & magni fervoris. Non mediocri is tædio afficiebatur, dum illos explodere & sarcasmis perstringere, audiebat unum vel alterum fidei nostræ Articulum, absque eo, quod constringere & ab impietate suâ revocare illos posset, vel precibus vel adductis rationibus. Quantò oppugnabat illos acrius, tantò illi petulantius diras contra Deum evomebant, abominationes ac blasphemias, quæ & auribus horrore erant. Nihilominus, dum jam abitum parabat, absque spe flectendi ipsos ad meliora, permisit Deus, ut unum eorum re quâdam sub sensum cadente, à suâ defleceret sententiâ, ipsique firmisimè persuaderet Veritatem circa existentiam unius Dei, in quem non multum credere videbatur. Et hic alterum quòque in suam adduxit sententiam, sed aliâ viâ, quod ita accidit.

## ARGUMENTUM.

1. *Manifesta probatio veritatis circa Existentiam Unius Dei, quâ convinci possit omnî ratione præditus.*
2. *Probatio subtilior ad convincendos Doctiores.*

O

AR-



## ARTICULUS I.

Aspectus  
cujusdam  
horologii  
conuertit  
Atheum.

**M**emoratus Doctor, specioso captato titulo se retrahere volens à Societate, cui parvo quidem tempore, magno tamen cum fastidio interfuerat obperversos, sibi que intolerabiles, quos percipiebat, discursus, agebat se condixisse, tali horâ se concessurum ad certum quendam locum; & hoc fine educebat è perulâ suâ manuale quoddam horologium valde speciosum, ut videret, an hora esset, quam condixerat. Impiorum unus curiositate ductus illud videndi, arreptum manu aliquanto tempore considerans, id suis arridere monstrabat oculis, ac esse ex sensu suo. Verum est, inquiebat ipsi doctor, stupendum hoc opus esse. Quis est illius Auctor, quis artifex, quærebat alter? Attonitus hærebis, reposuit Doctor, si tibi dixerò, nullum hujus auctorem esse, fedrale, quale est, esse à seipso; quâ ratione autem id factum, effari ac declarare tibi nescio; an forsitan sit factum ex fortuito occursum atomorum in aëre, vel ex improvisâ guttarum de Cœlo labentium conjunctione, vel ex arcano animæ totius mundi artificio. Ut verum fatear, difficultè explanare tibi possem, quâ ratione tot rotæ, tot machinæ, tot nervi, tot namque

exacti ad normam motus, in opere tam parvo inveniuntur, abs eo, quod invenire liceat ipsius Auctorem; quodque tandem hæc omnia à se ipsis sic facta conspiciantur, ut hominum nemo unquam admoverit manum: Et hoc est, quod stupendum maximè, hoc in opere intueor.

Societas tota in risum effundit cœpit, inaudiens sensa ab omni bono sensu tam aliena. An possibile sit virum doctrinâ insignem, imaginari sibi quid posse rectæ rationi aded adversum? quis non cernit, ejusmodi opus fieri non potuisse nisi à manu artificis apprimè gnari, exculti, imò arte suâ præstantis? Verum est, reposuit Doctor, non abs re vos rapit admiratio, merapi potuisse in sententiam omni sanæ menti tam contrariam. Sed major me stupor percellit, compellans illum, qui horologium gerebat manu, agebat; animo fingere te posse, quod ingens hæc mundi machina, cujus Organa, nervi ac motus sunt tam accurati, cujus dispositio ac Oeconomia, absque comparatione, magis est stupenda, quàm illa parvæ ac tenuis hujus opellæ, cum hæc respectu totius mundi sit nihil; fingere inquam te posse, quod artis tam exquisitæ opus careat auctore infinito modo  
poten-



potente, infinito modo sapiente. Quâ ratione subeat animum hæc opinio? an omnia hæc, tam bono ordine, uti vides, à seipsis sint disposita, tam ordinatè digesta?

Aspectus  
mundi ma-  
gni annun-  
tiat & ac-  
clamat  
Deum esse.

Quænam manus molem Cœlorum tornarunt in orbes! Quis Solem posuit in radioso hoc, quo residet, tabernaculo! quis ipsi suum præstituit & designavit iter, quis illum tam celeri cursu rotat & agit circum terram, abs eo, quod motus tam velox illum unquam defatiget vel turbet, vel in minimo convellat? Quis unicam sanæ mentis scintillam habeas, non videat, quod sicut impossibile est, parvum aliquod horologium eo collocare loco, ut exactum & accuratum per viginti quatuor horas solummodo perficiat motum, nisi fuerit ab insigni elaboratum artifice; sic multò adhuc magis impossibile sit, quod ingentes hæ spherarum cœlestium rotæ, nostris ita superimminentes capitibus, ut eas manibus nostris tangere non possemus, quasque cum admiratione videmus nostros ordinare dies, nostros annos, nostra sæcula, eo sint loco, ut perficiant motum ad eò continuum, ad eò celerem, ad eò ad normam compositum & exactum, ita ut minimus unquam defectus non advertatur, nisi admirabilis hæc machina disposita & fabrefacta

fuiſſet à mente & intelligentiâ quâdam supremâ; nisi Omnipotens manus adhuc ipsam conservaret, & sapientia moderaretur infinita? O Omnipotens tam speciosi operis Auctor, quantâ cæcitate percussum oportet esse, qui Magnitudinis tuæ Characteres frontibus astrorum non videat insculptos? quantâ surditate obrutum, qui non percipiat Harmoniam Cœlorum tam clarè tuæ sublimitatem gloriæ mortalibus enuntiantem? *Cæli Enar.* *Psal. 186.*  
*rant Gloriam Dei.* Ah! nisi aures haberemus mundi rumoribus ita contusas, si tranquillas ac edomitas haberemus passiones nostras, si solertè ac studiosè indagandæ incumberemus Veritati, nec unica in mundo Creatura foret, quæ non haberet vocem suam ad evulgandam nobis Excellentiam ac magnitudinem Existentiæ Dei. Siquidem quæ verisimilitudo, hæc omnia sic facta esse à semetipsis?

Veritas hæc tam luculenta, tamque irrefragabilis ipsi visa est, ut nil habuerit, quod opponeret. Sed ad focium suum conversus: Omnibus circumspectis, accuratèque perpensis, ajebat illi, insanimus, mente capimur, dum protervè ad eò negamus rem, quam decies centena vocum millia tam clarè enuntiant, quam universus credit orbis, quæque tantâ abundat verisimi-

Q 2 litudine?



litudine? Quid commodi inde trahimus? Invenio namque quod credentes in Deum & cuncta Religionis dogmata, periculo nihil committimus, credentes autem contrarium, quod Deus non sit, in discrimen adducimus cuncta. Quandiu effingere nobis conamur, Deum non esse, abs timore nos tradimus effrœnatæ quidvis audendi licentiæ; non nisi studemus satisfacere sensuum libidini, haud aliter, ac si ejusdem naturæ cum brutis nobis esset anima; abs intermissione committimus tam foeda, tamque indigna facinora, ut nosmetipsos pudore suffundant. Cui malo nosmetipsos exponimus?

Qui credit in Deum periclitatur de nullo; qui non credit, periclitatur de omnibus.

Siquidem si Deus sit, incidemus tandem in manus ejus; Et si nostra immortalis est anima, æternum & abs metâ infelix erit ac miserâ. An sat firma nobis sit certitudo, Deum non esse, omnesque decipi mortales, nec aliud Religionem esse nisi somnium, animamque nostram carere immortalitate, ut tanto nos exponamus discrimini? Sed si credimus in Deum, etiamsi Deus non esset, nullum exin nobis imminet periculum; siquidem ex hoc quid mali nobis posset accidere? Summum quod faceremus impendium, emendatio foret morum, id est, relinqueremus vitia, amplecteremur virtutes, evaderemus meliores,

nostrum vivendi institutum magis foret conforme & rationi & æquitati. Ecce totum absurdum, quod exinde posset oriri, quod tamen malum non est, sed bonum, uti vides, adeoque tum securius, tum melius nobis est, hasce partes amplecti? Assentior, inquit alter, tua me movet ratio, & fateor, stultorum albo non immeritò aggregando, qui Atheos agere ac æternitatem suam in tantum discrimen adducere volent pro paucis annis vitæ brutalis, quæ indigna sit animâ vel parùm præditâ ratione; Et Ambo exorârunt Doctorem, ut sui curam in instructione suscipere, seque in viam salutis dirigere vellet.

Sed inquit illis. Amici mei, longè adhuc abestis ambo à Regno Dei, nisi Religionem vestræ aliam substruatis basin, quam in validum hunc discursum, quem auribus hausi; Credamus in Deum, cum nullum adducat periculum, in illum credere, etsi amsi non esset; Discrimen tamen maximum, in ipsum non credere, si esset. Ah! quàm longè aliter credendum? Nullum hic admittitur si, nullus hic est locus conditioni, nullus ulli dubio. Quomodo? An ergo duntaxat collocare in tuto quaritis commodum vestrum incertâ hæc & conditionatâ fide? Nullius hoc valoris est: Sed tam firmiter



mitèr prima hæc veritas figenda & stabilienda est primo, tam inconcusse oportet illi adhærere, tam absolutè se illi subdere, tam solidà tamque constanti determinatione eidem assentiri, ut pro illius defensione mortem subeundi, nulla mentem subeat dubitatio: aliàs hoc non est verè credere in Deum, sed est de ipso dubitare; hoc non est habere Religionem, sed est illam simulare, & quandam ejusdem speciem præferre.

Quàm firmiter credendum sit existere Deum.

Longè alitèr se habet veritas circa Existentiã Dei, quàm omnes aliæ veritates, quibus intellectus noster assentiri potest. Omnes aliæ, licet nobis certæ & plurimum evidentes videantur, cum hæc tamen comparatæ, incertæ sunt ac obscuræ. Sola veritas Dei Existentiæ tam certa, tamque necessaria est, ut impossibile sit, ipsam non esse, eò quòd Deus solus sit Ens à se ipso æternum, necessarium, independens. Hujus rei tam clarã, tamque manifestam tibi faciam demonstrationem, ut eandem in dubium vocare amplius non liceat.

Omne, quod Deus non est, vel est possibile vel impossibile.

De omnibus rebus, quæ Deus non sunt, verum est dicere: hoc est possibile, vel impossibile, sed non est absolutè necessarium. Dantur res impossibiles, uti sunt illæ, quæ manifestam includunt contradictionem. Exempli gra-

tia, esse hominem & non esse hominem, esse aliquid & esse nihil, hoc est impossibile, quia est contradictio manifesta.

Dantur aliæ res, quæ sunt possibles, uti sunt omnes Creaturæ, quæ acceperunt esse à Deo, quasque omnipotens ipse manus nunquam non in eodem conservat statu, quales sunt Cælum & Terra, & omnes præcipuæ partes Universum hoc constituentes; quales etiam sunt, quæ nondum acceperunt esse, accipient autem successu temporis, uti plantæ, fructus, animalia, quæ quotidie nascuntur & moriuntur, cum non habeant esse, nisi pro certo tempore; quales denique etiam sunt infinitæ aliæ Creaturæ Deo possibles, quæ nunquam recipient esse, recipere tamen possent. Verum de nullâ ex omnibus hisce creaturis dici potest, quòd sit absolutè necessaria; & consequenter verum est, omne, quod Deus non est, esse possibile vel impossibile; non autem esse absolutè necessarium, eò quòd esse vel non esse possit.

Solus est Deus, de quo fieri possit discursus hic irrefragabilis: Esse Dei nec est possibile, nec est impossibile; Ergò oportet esse actuale & necessarium. Imprimis non est impossibile, quæ enim est contradictio, dicere quòd Deus sit? Si diceretur, Deus est,

Deus nec est possibilis, nec impossibilis, sed necessarius.



& non est, foret contradictio, & hoc foret impossibile; sed dicere simpliciter, Deus est, nulla est contradictio: Cum ergò nihil hic adsit impossibilitatis, consequenter verum est, Esse Dei non esse impossibile. Deinde dici etiam non potest, quòd Esse Dei sit possibile: Nam quid hoc esset, nisi Deus solummodò possibilis? Hoc idem esset ac dicere, quòd nondum esset Deus, sed posset Esse. Tertullianus non immeritò illis stoliditati idololatrarum in singulas horas formantium sibi Deos juxta placitum suum, & dicebat illis: Nolo factos ejusmodi Deos, qui potuerunt esse Dii, antequam essent: Oportet namque ipsos factos esse Deos ab aliquo se superiore & potentiore, à quo dependent in suo esse vel non esse, qui poterat ipsis æquè negare ac dare divinitatem: Et idem non censendi sunt pro diis, sed ille, qui fecit ipsos Deos, & qui est à seipso, ipse verus est DEUS. Dicere, quòd aliqua res sit possibilis, est dicere, quòd dependeat à potestate alterius, quòdque possit habere, & non habere esse; adeoque imaginari sibi Deum possibilem, est dicere, non esse Deum. Si igitur dici non potest, quòd esse Dei sit vel impossibile vel possibile, quid restat dicere & exin deducere, nisi quòd actuale sit necessarium, quòd sit à seipso, quòd præ-

ternum sit ac independens, quòd impossibile sit, quòd non sit: Cum manifesta sit contradictio inter non esse & necessariò esse. Ex quo irrefragabilem hunc formo discursum: vel est impossibile, quòd Deus sit, vel est necessarium, quòd sit; atqui impossibile non est, quòd sit, ergo necessarium est, quòd sit.

O Ens entium, infinita bonorum omnium scaturigo! O <sup>Stulticia</sup> est credere, quòd nos <sup>simus, &</sup> Principium adorandum omnium, quæ sunt intra te, & illorum <sup>non crede-</sup> omnium, quæ sunt extra te! Quo <sup>re, quòd</sup> modò essemus nos, nisi tu esses? <sup>Deus sit,</sup> Et quid habemus, nisi quòd accepimus à te? Verum quid est parva hæc entis portio, quam nobis dedisti, respectu illius immensi Essentiarum & quidditatum Oceani, Cujus æterna es scaturigo? An prætenderemus nos quid esse, & te esse nihil? Agnoscere nostrum esse, quòd nihil est, & ignorare tuum esse, quòd omnia est? Ah! si verum est, parvum hunc Entis & Veritatis atomum, qui se nobis prodit in Creaturis, nostrum lucrari animum; Sique tam certâ tenemus scientiâ, existere illas, ut nullus de hoc sit dubitandi locus; si denique intellectus noster parvæ hujus Entis & veritatis omnium Entium creatorum scintillæ, tantâ adhæret firmitate, ut nullâ persuaderi posset ratione, illa non esse; quàm firmiter, quàmque indu-



indubitanter intellectus noster adherere debet Veritati infinitæ circa Existentiã Entis infiniti, nempe Dei? Nam si veritas lucratur, & suaviter allicit intellectum nostrum, uti experiëntiã docemur; quò luculentior erit Veritas, tantò fortius eundem allicere, tantòque hic firmius eidem debet adherere: infinita igitur veritas Dei Existentiã non solum lucrari, sed etiam deglutire, & intra semetipsam absorbere debet intellectus nostros, à quã hi ita penetrentur, persuadeantur, convincantur, ut omnia, quæ vera esse possunt extra Deum, omnes scientiarum demonstrationes luculentissimæ, & quidquid per nos ipsos & experiëntiam sensuum nostrorum cognoscimus, & universaliter omnia, quæ in creaturis veriora esse possunt, respectu eius non videantur nisi levis umbra, tenuis phantasia, & quasi mendacium.

Nonne nos ignorantia & cœcitatatis caligine totos involutos esse oporteat, quòd omni aliã veritate magis quàm illã Dei Existentiã alliciamur, afficiamur, occupemur. O æternum Entium omnium principium, si hominum animæ adhererent tibi in terris, more illarum in Cœlis tibi adherentium, tunc terra Cœlum evaderet: Quid enim tam firmiter intellectum Ange-

lorum & omnium Beatorum in Cœlis Deo conjungit, ut nemento quidem se ab eo divellere, ob suavissimas, quas gustant, delicias, nec nova concipere vota possint, ob summam, quã fruntur, satisfactionem, nisi quia perfectè te cognoscunt veritatem æternam? Ipsæ clarè te certunt, O Ens entium, te gustant, & totæ replentur suavitatibus tuis O Bonitas infinita! Si igitur anima tali ratione tota repletur Veritate Existentiã Dei, tamque firmiter ipsi adhereret, nonne Beata jam foret in præfenti vitã?

Magnã perfundebantur voluptate hi duo Neoconversi ex sermone Doctoris, quem respicere incipiebant magnã cum Reverentiã suam velut Apostolum. Non aspiciabant adhuc, nisi primam veritatis auroram; ingenti tamen omnimodam videndi diem ac lucem tenebantur desiderio; Instantissimè igitur ipsum rogabant pro institutione magis solidã & perfectã: qui ipsorum votis satisfacere ac communicare ipsis volens ex abundantia Cognitionum & piorum affectuum erga Deum, quibus ipse affluebat, incepit à Symbolo, cuius prima verba præbuerunt ansam novis difficultatibus, unde majores quoque nascebantur Cognitiones & notitiæ, sicuti videbis?

ARGU-



## ARGUMENTUM.

*est impietatis credere plures Deos, quàm credere nullum.*  
2. Probatio Unitatis DEI ex

## ARTICULUS II.

**S**ymbolum, quod compendiosum est ac Epitome præcipuarum & fundamentalium veritatum à fide nobis propositarum, deducit nos in Cognitionem Dei *Trinitatis Unius*, Trium Divinarum personarum, quæ non nisi unam & eandem habent Essentiam, unam & eandem potentiam, unam & eandem auctoritatem. Primus Articulus hæc verba complectitur: Credo in Deum Patrem Omnipotentem factorem Cæli & terræ. An solus ergo Pater omnipotens est & Mundi Creator, interrogavit ipsum unus ex hisce duobus Discipulis? Cur illi soli attribuitur Nomen Patris & Creatoris, cum tamen omnes tres non nisi unam habeant potentiam, unam auctoritatem. Verum Nomen Patris omnipotentis dicit ipsi Doctor, non sumitur hic pro solâ primâ personâ Sanctissimæ *Trinitatis*, sed pro omnibus tribus simul. Pater est omnipotens & Creator mundi; *Filius* etiam est Omnipotens & Creator mundi; *Spiritus Sanctus* similiter est omnipotens &

*Tertulliano.*

3. Ex Sancto Dionysio Areopagita, ratione, ac Testimonio Dei ipsius.

Creator mundi; sed cum omnes tres non habeant nisi eandem Divinitatem, & eandem potentiam, non sunt nisi unus & idem mundi Creator. Non nisi unicum mundum creare voluit, ut declararet nobis Unitatem Essentiæ suæ ex unitate sui operis juxta mentem sancti Augustini: *ut ex uno opere unus Artifex crederetur.* Orat. Contra idola.

Sed quare non potius tres creavit mundos, reposuit alter, ut divinarum personarum nobis manifestaret *Trinitatem*? Certum namque est, hanc nobis minus unitate divinæ Essentiæ esse cognitam: hanc enim solo lumine naturæ cognoscere nobis licet: Et si tres habuissemus mundos, mundum *Patris*, mundum *Filij*, mundum *Spiritus Sancti*, ipsa experientia nos docuisset, Tres esse Personas in uno solo Deo. Poterat abs dubio, reposuit Doctor, educere tres mundos è nihilo, sicut eduxit unum, terque decies centena millia tam facile, quàm tres; Cum sit Omnipotens, & ipsius manus non sit abbreviata, sed quid contigisset?

Si idololatram introduxerunt tam



Quare De- tam ingentem Deorum Numere-  
us non- rum ex aspectu unius duntaxat  
nisi uni- mundi; etsi ex eo solum, quod  
cum crea- sic compositus sit è diversis par-  
verit mun- tibus, & magnâ diversarum crea-  
dum, turarum copiâ, desumpserunt  
ansam fingendi tot Deos, quot  
conspexerunt in Coelis astra, &  
in terris elementa, Deum ignis,  
Deum maris, Deum Solis, De-  
um sylvarum, & infinitas alias  
imaginarias ac fictitias divini-  
tates, ita ut sibi etiam è serpen-  
tibus & morbis fabricati fuerint  
Deos; nonne si plures fuissent  
mundi, jure meritissimo credere  
potuissent, tot saltem Deos esse,  
quot mundos, & unumquodq;  
ex his tam speciosis operibus  
suum habuisse auctorem? Opus  
erat mundo visibili, ad demon-  
strandum visibiliter hominibus,  
esse Deum, sed nonnisi unico  
opus erat, ne forsan crederent,  
plures esse Deos.

Magis in- Sensus divinitatis tam natu-  
clinamur- ralis est, tamque firmiter im-  
ad creden- pressus animis hominum, ut ma-  
dum plures- jori ferantur facilitate ad cre-  
Deos esse, dendum, plures esse Deos, quàm  
quàm ad- difficultate teneantur ad persua-  
creden- dendum sibi, nullum esse Deum:  
dum, esse hinc videmus, multò majorem  
Nullum, idololatrarum, quàm Atheorum  
numerum esse ac reperiri in  
mundo. Nihil ominùs duo  
hæc extrema æqualis sunt im-  
pietatis, sive credere non esse  
Deum, more Atheorum, sive

plures Deos ritu idololatrarum;  
Et geminæ hæc fundamentales  
Religionis veritates, utramque  
hanc impietatem detestantes,  
sunt pari ratione infallibiles: pri-  
ma, Deum esse; Secunda, non  
esse nisi unum verum Deum.  
Veritas & unitas Dei existentis  
sunt omninò inseparabiles.

An auditu quid gratius dis-  
cursu Tertulliani, quem format  
hæc super re, unitate nimirum  
Existentis Dei? Cum videret  
idololatræ falsis suis circumfu-  
sos Dijs, ex horum multitudine  
probat, ac ipsosmet ad Con-  
fitendum inducit, esse non pos-  
se, nisi unicum verum Deum.  
Ita, inquit ipsis, admitto omnes  
vestros Deos; Sed hi prius erant  
homines; non habentes divini-  
tatem, cujus virtute constitue-  
rentur & evaderent Dii? Ne-  
cessum fuerat, hanc ipsos acce-  
pisse ab alio, qui illam habuerat  
à semetipso; vel si negatis, quen-  
quam esse, qui hanc tribuat,  
quomodo dicere potestis, plu-  
res esse, qui ipsam recipiant?

Forsan creditis, quod dede-  
rint hanc sibi metipsis; sed si fa-  
cultatem habuerunt semetipsos  
pro arbitrio suo constituendi  
Deos, cur id non fecerunt mox  
à principio? Cur adacti sunt,  
agere prius homines miseros ac  
mortales, priusquam immorta-  
les agerent Deos? Nemo se pri-  
vat felicitate, quamprimum

P hæc

Multitudo  
falsorum  
Deorum  
probat,  
non esse  
nisi unum  
solum.



hâc frui fuerit concessum. Sed quod sibi ipsis dare non potuerunt, cum illud non habuerint, necessum erat illud accepisse à quodam alio, qui id habuerat à semetipso, nec alteri referebat acceptum. Et hic primus est, qui solus divinitatem possidet, & sinu suo tanquam proprium suum Thesaurum constringit, quem nos credimus & profiteamur, solum & unicum esse verum Deum.

Sancti non  
sunt Dii.

Non dicimus more vestro, quod ipse faciat Deos: fatemur quidem ipsum remunerari virtutes hominum, illósque, qui meritis fuerint præstantes, extollere in Cœlum, ad communicandam illis gloriam suam, sed quod Deos ex illis faciat, non asserimus: agnoscimus illos velut Sanctos & fideles Dei Servos, non autem tanquam Deos, qui suam cum ipso dividant Divinitatem. Cæteri omnes, qui vitam duxerint infuetis infamem vitii, æquissimâ justitiæ ipsius sententiâ, suppliciis deputantur æternis, velut incestuosus vester Júpiter, Sanguinari vester Mars, insignis Prædo vester Mercurius: Vos adoratis illos velut Deos, nos autem despectui ipsos habemus, & cum horrore aspiciamus veluti damnatos.

lib. I. c. 3. Et alibi disputans contra Marcionem volentē admittere duos

Deos, memorabilem hanc exaravit sententiam: *Deus, si non unus est, non est.* Dicit, quod si Deus non sit unicus, non sit Deus. Et Ecce, quàm eximie discurret ad stabiliendam suam propositionem. Nemo est, qui loquens de Deo, juxta dictam propriam Conscientiæ suæ non dicat, Deum esse *supremum omnium Entium*. Jam Conditió entis supremi est, ut nec superiorem habeat, nec æqualem: Nam si habuerit superiorem, non est supremum, cum aliquid habeat supra se; Et si habuerit æqualem, non est super omnia entia, cum aliquid habeat sibi æquale, quodque sibi in nullo cedat. Videre quidem erat quodque duos Imperatores, idem omnino Regnum administrantes, hique ambo duo æquales fuerant, verum ipsi non erant supremum Ens, quod ambo dependerent à Deo. Gloriosum hoc & supereminens Elogium supremi entis, non potest nisi uni Soli convenire.

Vel si Marcion obstinatē defendere velit dualitatem Deorum suorum, interrogo ipsum: Suntne omnino æquales, aut omnino similiter inter se, vel an habent aliquam inter se differentiam? Si in omnibus sint similes, ita ut nihil sit in uno, quod non sit in altero, jam non sunt duo, sed est idem & unus Deus, cum nihil sit, quod ipsos distinguat.



guat. Si sint dissimiles, ita ut quisvis illorum habeat aliquid, quod non habet alter, neuter illorum erit Deus, eò quod ambo sint imperfecti; vel denique, si uni tantum illorum, aliqua desit perfectio, hic non erit Deus, & alter, qui omnes habet, solus remanebit Deus. Omnino igitur verum est, plures quam unum solum Deum verum esse non posse; Verissimumque esse effatum Tertulliani: *Deus, si non unus est, non est.*

Divinus Areopagita hanc in rem, libro de Divinis Nominibus aliud quid exaratum reliquit tam sublime, tamque profundum, ut qui illud bene intelligeret, ad oculum videret necessariam esse Unitatem Dei Existentis: *Deus totum in se uniformiter praecipit.* Affirmat, quòd Deus sibi assumat totum esse, quòdque illud possideat in perfectà uniformitate, sicut & totum esse anticipet in plenà hanc possessione. Hæ sunt tres admirandæ veritates, non nisi tribus verbis inclusæ. Inprimis dicit, quòd Deus accipiat in se totum esse: Jam totum non potest esse nisi unicum & solum; & si totum esse habeat in seipso, nihil jam relinquit pro alio. Secundò dicit, quòd possessio totius esse sit uniformis in Ipso: Non enim hic res agitur, sicut in Creaturis, quæ compositæ

sunt ex pluribus partibus inter se valde diversis, quæque nunquam omnes perfectiones suas habent æquales: Sed omnia sunt tam uniformia in Deo, ut esse ipsius infinito modo simplex non habeat partes se componentes, nec aliqua ipsius perfectio sit inæqualis aliis, nec ab aliis diversa, imò nec aliud quid sit, quàm aliæ. Omnes sunt infinitæ eadem infinitudine, omnes eandem habent bonitatem sibi communem, & omnes demum non sunt nisi simplicissimum quid cum Essentiâ Divinâ: id quod facit, ut omnia in Deo se reducant ad unam simplicissimam unitatem. Tertio adjungit, quòd præveniat & anticipet totum esse ac omne Ens in plenâ possessione entis in se accepti, hoc est, quòd ipse sit supremum totum ac summum omne à seipso ab æternitate, abs eo, quòd aliquid potuerit vel præcedere ipsum, ad limitandum ipsius esse, vel concomitari, ad hoc cum ipso dividendum. Ex quo concluditur, absolute necessarium esse, ut esse Dei sit unicum, qui est totum, quia est totaliter, & quia est semper.

Doctrina hæc non leviter extollebat audientium animos, ipsisque sublimem insculpebat idæam essentiæ Dei; Sed dare manus adhuc cunctabantur, eò

Quam  
Creaturæ  
sunt Nihil.

P 2 quod,



quod, quod audierant, experientiam sensuum nostrorum oppugnare videretur. Si verum est, Deum includere in se solo omnem latitudinem Entis, sequitur ex hoc, omne: quod ipse non est, haud esse, adeoque præter ipsum haud esse, nisi purum Nihilum. Quid igitur tot res sunt, quas videre est in universo mundo? Nihil, respondit Doctor; Omne, quod Deus non est, nihil est. Proprium Deo est esse omnia, & proprium Creaturæ est esse nihil. Deus possidet omne esse à seipso ab æterno, & Creaturæ portio erat purum Nihilum ab æterno: A se ipsa ergo nihil est, & extracta est à Nihilo ab omnipotentia DEI, & nunquam non tantà erga nihilum fertur proclivitate, ut si fortissima illa manus, quæ ipsam inde quasi vi facta avulsi, unico momento ab illius conservatione desisteret, mox in illum nihilum relaberetur. Ecce quare dixerim, ipsam propriè loquendo esse non habere, cum hujus possessionem non habeat ex propria sua naturâ, sed solummodò quasi commodatò acceptam; ipsius autem propria & naturalis possessio est purum nihilum.

Comparatio existentie Creaturarum cum existentia Dei.  
Verum quidem est, Deum, dum extraxit Creaturas à nihilo, communicasse ipsis parvum aliquod esse; sed hoc non est in-

finitum illud & necessarium esse, quod Deus solus possidet, sed est tandummodò parva quædam illius umbra: haud aliter, sicut parva illa puncta lucis, quæ apparent in guttis rosis, quæ pendulæ conspiciuntur ab Extremitatibus plantarum oriente Sole, recipiunt quidem parvum aliquem splendorem Solis, sed non ipsum esse Solis: Sic omnes Creaturæ habeat quidem aliquid à Deo, non tamen habent esse ipsius Dei, videmus in ipsis pulchritudinem, magnitudinem, durationem, Bonitatem, Sapientiam, fortitudinem, & omnia plena parvis hisce imitationibus perfectionum primi hujus entis: Sed si omnia hæc comparentur cum infinità pulchritudine Dei, cum ipsius immensitate, æternitate, infinità Bonitate, omnipotentia & omnibus infinitis perfectionibus essentia ipsius, videbis & fatebris non nisi minimum nihilum hæc omnia esse respectu Magni illius *Omnia*, hujusque summi ac supremi *Totius*; Nam denique nihil habent ex omni illo esse, quod est in Deo. Sed Deus possidet in se totum ac omne esse, quod ipse habent, modo tam sublimi ac excellenti, ut nobis sit prorsus incomprehensibilis. Verum igitur est, quod Deus sit omnia à seipso, & quod Deus non est, nihil sit à seipso.

Ah!



Aspectus  
Dei Exi-  
stentis hu-  
miliat Cre-  
aturam.

Ah! quàm profundâ venera-  
tione anima, quæ vel parùm  
hanc agnoscit Veritatem, fertur  
& afficitur erga infinitam ma-  
gnitudinem Dei! Adorat ipsum,  
admiratur ipsum, ac tota in a-  
byssis magni hujus totius absor-  
betur. Ah! quàm annihilatam  
se comperit coram oculis ipsius,  
quàmque procul se aberrâsse  
agnoscit, magni semetipsam fa-  
ciens, dum intuetur abyssum  
sui Nihili, respectu infinitæ sub-  
limitatis Essentiæ Dei! Sed quan-  
to superabundat gaudio, dum  
considerat opus se esse tam ma-  
gni Dei, tanto se insigniri ho-  
nore, ut pertineat ad ipsum,  
pro ipso solo creatam se esse ab  
ipso, & non tantùm, ut suâ u-  
ratur operâ, sed etiam ut suas  
secum capiat delicias, ut se sibi  
revelet, secum agat velut cum  
amicâ & intimè conjunctâ, se  
tantis repleat favoribus, ut tan-  
dem elevare velit usq; ad Thro-  
num gloriæ & magnitudinis suæ!  
Quomodò, O infinita Magnitu-  
do, te eò usque inclinas ac de-  
scendis, ut æstimare digneris  
parvum hunc, quem ex nihilo  
extraxisti, atomum? Rapitur  
extra se infelix hæc anima, &  
hæc veritate semel benè gustatâ,  
ita à Magnitudine Dei & puro  
illius, quod Deus non est, nihi-  
lo penetratur ac absorbetur, ut  
nil nisi Deum ubique sibi occur-  
rentem aspiciat, nihilq; imposte-

rùm amplius æstimare, amare,  
desiderare possit, quàm Deum.  
Cœtera omnia Cordi ipsius mor-  
tua, & oculis ipsius sunt anni-  
hilata.

Sed summus gaudii ipsius est  
apex, quod noverit, nonnisi u-  
nicum esse Deum, cujus ipsa sit  
Creatura, qui solus suæ fortis  
sit arbiter, à quo omnis sua de-  
pendeat felicitas, & in quo solo  
inveniat, quo satiari se possit.  
Ah! quàm infelix ipsa foret, si  
per impossibile plures esset nu-  
merare Deos! siquidem quivis  
ipforum exigere ab illâ posset  
summam ipsius adorationem,  
omnia ipsius servitia, totum ip-  
sius amorem. Non est ipsa sol-  
vendo uni Deo, quod ipsi debet,  
quomodò suâ se obligatione ex  
solvere ac liberare posset erga  
alios? Si mandarent ipsi contra-  
ria, quo more omnibus gereret  
morem? Si suâ obsequia, si amo-  
rem suum consecraret uni, om-  
nes alii, quibus hæc abnueret,  
exin offensi, tot ipsam obrue-  
rent Calamitatibus, quot Deos  
sibi haberet infensos. Sed quàm  
felix est, & quàm solidâ fruitur  
consolatione, dum novit, quòd  
non nisi unicum Deum habeat,  
quem amare, non nisi unicum  
Dominum, cui servire, non nisi  
unicum Summum Bonum, quod  
desiderare & requirere debeat;  
quòdque in ipso inveniat om-  
nia, idque unicum possidendo,

Infelices  
essemus si  
plures es-  
sent Dij.



bonorum infinitorum possideat  
Theaurum.

*Una anima  
Sola, unum  
Solum ha-  
bet Deum,*

Hinc cum aliquando quæreret  
Religiosus quispiam ex Magno  
illo rerum Cœlestium contem-  
platore Fratre Ægidio, uno ex  
primis sociis Seraphici Patris  
Francisci, quid sibi faciendum,  
ut illam, quam anhelabat, quan-  
tocyùs affèqueretur felicitatem,  
quæ alia non erat, nisi quâ viâ  
perfectè posset placere Deo, is  
cum magno Spiritùs fervore re-  
spondit ipsi: *Canta mi Frater, sed  
canta ex toto corde tuo, Unus  
Uni, Una Uni*; id est, unus De-  
us, uni animæ, una anima uni  
Deo. Memineris animam tuam  
non nisi pro Deo solo esse Crea-  
tam, ipsam esse unicam ex om-  
nibus inferioris mundi Creatu-  
ris, Cui dederit capacitatem &  
facultatem se agnoscendi, seque  
amandi; Hæc sola est fœderis sui  
arca, quam sibi ipsi præparavit  
velut sanctuarium tam sacrum,  
ut nulli liceat introitus, nisi sibi  
soli; abs eo, quod vel unica è  
Creaturis, sive corporalibus,  
sive spiritualibus, sive Dæmo-  
nibus, sive Angelis etiam Beatis  
facultatem habeat propius ac-  
cedendi ad intimum hoc animæ  
tuæ penetrale, quod verum est  
Tabernaculum Dei cum homi-  
nibus, ubi ita sibi complacet ha-  
bitare, ut post Divinam suam  
essentiam nil magis in deliciis

habeat, quàm pacificâ quiete  
frui in sinu animæ tuæ.

Omnes homines magni hu-  
jus mundi inquilini & accolæ,  
sunt totidem parvi mundi; sed  
horum quilibet non habet nisi  
animam unam, quia non est,  
nisi unus Deus, qui ipsam con-  
sultò & debitâ quasi operâ crea-  
vit pro se; quam etiam crean-  
do honoravit caractere & no-  
tâ similitudinis suæ, sicut col-  
locari soleant insignia & inscri-  
ptiones super frontispicia pala-  
tiorum Principum & Magna-  
tum; ad innuendum, quod, li-  
cet omnes Creaturæ Domini  
jure ab ipso possideantur, no-  
stra tamen anima signata sit ve-  
lut augustum ipsius palatium,  
ubi habitare & suas capere ve-  
lit delicias, Magnitudo, quâ ip-  
sam insignivit ad se recipien-  
dum, tam vasta est & ampla, ut  
in se complecti ac constringere  
possit omnem Dei immensita-  
tem; *Quin & Solus Deus est*, qui  
ipsam implere, ipsam possit sa-  
tiare. Sic est, *O Anima mea*, in  
profundâ hâc Cordis solitudine,  
cui nunquam non immorandum  
tibi, invenies Deum, qui suas te-  
cum capit delicias, & cupit, ut  
tu tuas quòque capias cum ip-  
so; Contentus enim non est,  
nisi deliciæ sint reciprocæ. Hic  
te Solam cum solo oportet  
conversari & quotidie oc-  
cinere

*Quare Do-  
us nostram  
fecerit ani-  
mam ad  
suam simi-  
litudinem.*



cinere Cordi ! *Unus Uni, Una Uni.*

Deut 32.

Deus no-  
stram invi-  
tat ani-  
mam, ut  
nihil prae-  
ter se aspi-  
ciat.

Ipse te propriâ docebit experi-  
rentiâ, quod aliàs suo dicebat  
populo : *Videte, quod ego sum  
Solutus, & Non sit alius Deus pra-  
ter me.* Quasi dicere vellet: No-  
lite servire alteri, nec vestrum  
dividite amorem, nec tot vanis  
solicitudinibus vestrum dissipate  
animum; totum Cor vestrum  
mihi debetis; Nam ego sum So-  
lus Dominus Deus vester: Noli-  
te anxie parare bona, quae per-  
eunt; Ego honorum infinito-  
rum thesaurus sum, qui vos lo-  
cupletabo; Nam ego Solus sum  
Dominus Deus vester: Nolite in-  
hiare delectationibus humanis  
nec sensuum voluptatibus, quae  
minores sunt votis vestris, ut  
haec valeant implere; Ego deli-  
ciarum aeternarum fons sum &  
origo, quibus te satiare, & sa-  
tiando Beatum reddere & valeo  
& volo; Nam ego solus sum Do-  
minus Deus vester. Ah! si ve-  
rum est, o Anima, quod, cum  
fruerer ab aeterno omni hono-  
rum abundantia, honoribus ac  
deliciis infinitis in proprio sinu  
meo, egressus sim extra memet-  
ipsum, ut quarerem delicias

meas non cum astris, non cum  
plantis, non cum floribus, non  
cum auro, non cum lapidibus  
pretiosis, nec cum aliâ quacun-  
que Creaturâ, sed tecum unâ &  
solâ: Nonne & tu, quae inta te-  
metipsam non invenies nisi pec-  
cata, nisi dolores ac misérias,  
extra temetipsam deberes egre-  
di, ad fruendum mecum in inti-  
mo cordis sacrario, veris ac so-  
lidis, quae beatam te reddere  
possint, voluptatibus ac deliciis?

Ita est, tam felix & Beata est  
anima mea, quam unquam &  
usquam esse possit in terrâ, quan-  
do semel invenit & Deum gusta-  
vit in intimo cordis sui. Novit  
ipsa propriis edocta experien-  
tiis, non esse nisi unum Deum,  
& hunc Deum infinitam esse Bo-  
nitatem. Apage, apage vobis-  
cum, O Mundi Crepundia, ex-  
clamat accenso cum cordis ju-  
bilo; infinitus jam mihi thesau-  
rus est, quo mea plenè satian-  
tur vota, exhilaratur vita; nihil  
deinceps vobiscum mihi Nego-  
tii. Valete omnes Creatura, re-  
linquite me Solam cum Deo so-  
lo; Solae deliciae meae deinceps  
erunt, abs metâ modulari dul-  
ce melos & Carmen meum: *U-  
nus Uni, Una Unâ.*

ARGU-



## ARGUMENTUM.

1. *Maxima infelicitas animæ, quæ plures sibi Deos fabricatur è vitis ac passionibus suis, nec non vanitatibus mundi.*
2. *Qua ratione propriis suis erroribus revocari possit ad meliora.*

## ARTICULUS III.

**O**Mnes tantam hauriebant voluptatem è Verbis devoti ac Sapientis hujus doctoris, magis è corde, quam ore ipsius profectis, ut optarent, ne unquam finem faceret dicendi. Sed institutum interpellavit sermonem illustris cujusdam foeminae adventus, quæ accesserat è aliquo apud ipsum quæsitura solatii, Cujus tantam abundantiam effuderat in illos. Erat hæc splendido loco foemina, quæ tota sui oblita ac perturbata videbatur; adeò usque penetraverat & animum ipsius occupaverat dolor, ut omnem aliam ipsi adimeret Cogitationem; citatis advolabat passibus, Societati se adjungens, abs eo, quod adverteret, num species, quam præfererat, externa, bene vel malè esset composita: eo ferè modo, quo olim Magdalena intravit domum Pharisæi, in mediam irrumpens Concionem hominum, non considerans horam Convivii, tota quanta abrepta affectibus, adeò stimulantibus cor suum, ut non attenderet

nec curaret scommata ac dicteria, quorum sese exponebat aculeis, modò cœlestem animæ suæ inveniret medicum, quem quærebat, modò se posset ad pedes illius prosternere, illòsque suis irrigare lacrymis: *quæsitit Piâ impudentiâ Sanitatem.*

Hæc pari ratione ferè videbatur affecta, nisi quod imparia & contraria fuerint animæ ipsius sensa; dolori namque suo mixtam ostendebat ferocitatem quandam ac iracundiam. Si quandòque respiceret Cœlum, videbatur id facere oculis indignatione plenis; erumpebat etiam in verba quædam submissa omnino voce prolata ac mediâ tantum ex parte intellecta, quæ horrore tamen aures percellabant, tantam spirabant desperationem & impietatem. An igitur aliquis Deus est? Ubi est hic Deus? An absurdum? an cœcutit? Illustris Domina, dicebat illi, quem visitatum venerat, video dolore te obrui; quid est, quod adeò te affligit? Domine; reposuit ipsa, vides miserrimam ac fidelissimam coram te Creaturam, quæ vivere possit super terram:



terram: Job nonnisi ruditer delineata miseræ erat imago; Ego consummata infelicitatis perfectissimum refero simulacrum; meis namque miseris nil est, quod adjici possit.

Hæc super re cœpit ipsi enarrare Calamitatem ad desolationem statûs sui; quâ ratione vixerit olim omni conspicua honore, splendore familiæ; bonorum copiâ, nullâ non prosperitate, quæ suæ Conditionis personam reddere posset fortunatam; quod, postquam longo tempore vixerat orba viro, nullis pepercerit impensis, ut unicum, quem habebat, filium benè educaret, isque eo jam loco esset, ut amplissimis fortunæ muneribus mox decorandus, iisdem universæ familiæ majorem tum decorem, tum splendorem, quam unquam habuerit additurus haud inaniter crederetur: modò autem videret omnem suam succisam spem, omnia sua consilia, inopinatâ illius, qui hæc sustentare debuerat, morte, in nihilum redacta; sicque unâ se illicò exutam bonis, amicis, honore, ac omni vitæ voluptate; adhæc omni ex parte, unde olim fulciebatur subsidio, jam supprimiti, concuti & quassari non nisi persecutionibus ac injuriis; adeoque videri, universum adversus se conspirassa mundum, ad faciendum se fœminarum

omnium infelissimam. Audiveram semper, aliquem esse Deum, qui miseris compateretur humanis, & confugientium ad se in suis necessitatibus exaudiret preces. Sed ubi est ille Deus, qui toties à me invocatus non audivit, sed dereliquit me?

Domina, ajebat ipsi, optimus hic Dei Servus, præ compassione ingemiscens miserabili ipsius statui: Ecce tibi omnem infelicitatis tuæ Originem. Tu nescis, ubi sit Deus ille verus, qui vivos ac veros humanæ felicitatis fontes suo complectitur sinu; nunquam hucusque ipsum agnovisti; ingentem adorasti falsorum Deorum numerum, in quibus dum tuam collocabas fiduciam, ingemiscere jam debes, te ab illis in necessitate tuâ derelictam. Honor mundi erat idolum, cui sacrificasti bona tua, curas tuas, affectus tuos, totum cor & totam animam tuam. Divitiarum idola erant, quibus adorationis cultum & cuncta tua impendisti obsequia, illis velut unico rei ac spei tuæ innixa fulcramento. Voluptates, prosperitates, amici, fortunæ commoda, ac omnia mundi phantasmata, falsa erant simulacra, quæ omnem tuam rapuerunt æstimationem, omnem affectum. Dum ipsis te totam devovisti, audisti quidem, aliquem esse Deum, sed in ipsum non credidisti, vel saltem

Infelix, qui  
confidit in  
alio, quam  
Deo.

Q tem



tem nullo ipsum habuisti loco,  
nihil fecisti.

Ubi sunt modò omnes Dii tui,  
in quibus confidebas? Dic illis,  
ut surgant & opitulentur tibi in  
magnis hisce, ad quas redacta  
es, angustiis ac calamitatibus:  
Quandoquidem fideli semper ip-  
sis adhæstisti famulatu, dic, ut si-  
bi præstita agnoscant obsequia,  
& fortunæ favores modò tuis  
obsequi faciant votis, uti spo-  
ponderunt. Nonne deceptam  
te cernis, dum servitio unius &  
solius Dei spreto ac derelicto, in  
quo solidam invenire potuisses  
voluptatem, tot falsos amplecti  
voluisti Deos, quos vesana mun-  
di vanitas sibi stolidè fabricatur?  
Vide, quàm inani te spe lacta-  
tam, nonnisi luctu tandem re-  
pletam dimittant ac deferant.  
Revertere ergò tandem in te-  
metipsam & proprio edocta ex-  
perimento agnosce, non esse nisi  
unicum verum Deum, in quo  
qui confiderit, sicut mons Sion,  
non commovebitur, nec un-  
quam confundetur.

Deus audit  
afflictos,  
sed vult, ut  
persevere-  
mus in  
oratione,

Ne mireris, si videatur paulis-  
per abscondere faciem suam, te-  
que ad se recurrentem despice-  
re, cum tanto tu tempore de-  
spexeris ipsum velut alienige-  
nam & incognitum; & licet mo-  
dò ipsum inquiras, hæc non fa-  
tis nisi compulsâ & quasi neces-  
sitate; ex solo tui amore, & nulla-

tenus ex amore erga ipsum? Ne  
obstupescas, si videatur obturare  
tibi aures suas, surdòque te cane-  
re fabulam; dum precibus tuis in-  
exorabilem se demonstrat, cum  
& tu quasi aurium usû capta, vo-  
ci gratiæ ipsius, interius tibi lo-  
quentis te surdam tamdiu præ-  
bueris. Sed interim ne pigeat  
ferire abs feriâ & intermissione  
ostium divinæ miserationis ejus;  
nam omnia se daturum promi-  
sit perseverantibus in oratione:  
petite & accipietis, pulsate, &  
aperietur vobis: Ne credas, te  
derelictam ab ipso, Cruce, quam  
toleras, te videns onustam, cum  
potius paternæ ipsius provi-  
dentia hæc favor sit, cujus si  
valorem cognoveris, condignas  
ei haud poteris exsolvere gra-  
tes. Aperi oculos tuos, & vide,  
quanto miseriarum onere te al-  
leviet, quantam bonorum co-  
piam harum loco tibi offerat &  
conferat, quantumque felicitatis  
cumulum hæc viâ tibi adjiciat,  
aggreget, cõacervet.

Imprimis mancipium eras vani-  
tatis, avaritiæ, voluptatis, Tyranis  
passionum ac omnium munda- mundi est  
narum levitatum sub legibus crue-  
lissimis  
mundi, non anhelans nisi ad bo-  
na fortunæ pro te ac sobole tuâ.  
Nonne sub illarum jugo inge-  
miscabas jugiter? quantæ solici-  
tudines! quanti timores, quan-  
ta tædia, quantæ æmulationes  
lancinabant animum? Quid non  
tenta-



tentabas pro obtinendâ quiete, dum ex unâ parte te stimulabat vanitas ad faciendas magnas impensas, ut te ostentares, & ex alterâ parte tibi illas inhibebat avaritiâ, ne forsan aliquam incurreres jacturam, patereris incommodum? quantum cruciaberis, dum aliquam felicitatem aucupaberis temporalem & alius tibi obluetans hanc tuo occupabat damno, reportabat præjudicio? quanta erat tua servitus, quantus famulatus, dum pseudoamicorum prensatura benevolentiam, tua cogebaris ipsi deferre obsequia, ut referres, quò tua collimabant consilia, quæ suâ tamen delusa spe non desinebant nisi indolos, fucos, perfidias? Fatere, vernarum vitam non magis infelicem esse conditione eorum, qui vivere volent juxta mundi normam ac formam. Nonne ingens hæc Dei miseratio est, quod repente hæc te servitute eripere, & in eam te libertatem voluerit asserere, ut nihil amplius cum mundo esse tibi posset negotii! Verum quidem est, quod, dum factâ vi te inde avulsi, non abs dolore id fuerit factum, sed eo ferè modo, quo vitiosus alicui evellitur dens; Evulsionis sanè non vulgaris est dolor; sed diu non durat, sed momento quasi liberat à poenâ & longâ magnorum dolorum serie.

Si misericordia ipsius erga te hic suos collocasset limites, ab undè satis te obligaret, ad perpetuas ipsi pro tanto favore reddendas grates: Sed plura fecit adhuc: nam dum falsis te exuit bonis, quæ non nisi vera extabant, multumque te vexabant mala, aperuit tibi thesaurum bonorum tam veracium, meracium ac solidorum, ut si ex illo haurire volueris, negotio facillimo omnium felicissimum te reddere possis in mundo: Et hic thesaurus alius non est, quàm ille ipsissimus, magnus ille bonorum infinitorum oceanus, ex quo quicumque hauserit, abundantes invenerit, suum quo cor satiari possit.

Innumerorum experientia famulorum ac famularum Dei id ad oculum demonstrant. An quispiam in mundo majori, quàm illi, perfunditur voluptate? Illi namque possident omnia, quibus cordis humani vota possent occupari. Inprimis abundant honore; siquidem majori sibi vertunt honori, dum fideliter sua Deo exhibent servitia, quàm si ad clavum sederent imperii, totique mundo jussa darent, animo firmiter persuasi, quòd Deo servire, regnare sit: Deinde bonis affluunt, cum enim habeant Deum tanquam pretiosissimum sibi thesaurum, bonum possident infinitum; nec omni ex

Q<sub>2</sub> Indiis



Indiis auro arcis suis occluso, ita sese beatos aestimarent, sicut dum vero sanctæ Charitatis auro animas suas vident locupletatas. Denique satiantur voluptatibus magis copiosis, deliciosis, illecebrosis, quam totus date vel propinare possit mundus, cum illas hauriant ex ipso fonte deliciarum æternarum, quæ ipsam lætificant Civitatem Dei, quibus ita omnem supra modum perfunduntur, ut in ipsa etiam cruce, in laboribus servitutem Dei concomitantibus mirram inveniant & degustent suavitatem.

Qui possidet Deum, est contentus.

Dicendum omnino est, ipsos solidâ & prorsus insolitâ perfundi voluptate, quam mundus non novit, cum nec minimo ferri possent desiderio erga illa omnia, quibus mundi affectæ omnes suos dicant ac consecrant affectus. Non enim ambiunt, nec abeunt post mundi gloriam, sed hanc velut scoriam contemnunt, & fugiunt tanquam fumum: Non inhiant anxie comparandis facultatibus perituris, sed flocci has faciunt velut paleas ac scœnum. Sensuum voluptates velut cœnum aestimant & aspiciunt cum horrore. Interroga, quod colliment ipsorum vota: Non alium his scopum præfigunt, nisi quem jam possident, Deum, in quo inveniunt totum, quo delectari, quo satiari vale-

ant. Gaudium & pax, quibus cor ipsorum affluit, usque in ipsam diffluunt faciem, ita ut quisquis ipsos viderit, debeat fateri nusquam plus gaudii, nullibi plus esse solatii.

Domina hæc, quæ nunquam gustaverat Deum, probe perspiciciens, se hæcenus ignorasse illum, à quo solo in tantum poterat felicitari, quantum fuerat hucusque infelix, avidas his omnibus præbebat aures: Dixisses ipsam non absimilem Nicodemo, quando audiens Christum sibi loquentem de Regno Dei, admirabundus eidem respondit: *Quomodo possunt hæc fieri?* Ecce summam quidem felicitatem sed quâ viâ huc pertingam, jam utcunque consolata interrogat: quâ ratione post tantam à Deo alienationem, propius ad ipsum accedere potero? Et quomodo omnia in ipso potero invenire, quæ hæcenus nunquam ipsum quæsi? *Deus facit se invenitur & possidetur.*

Profecutus igitur discursum ajebat illi, maximam hanc esse animæ felicitatem, quod, dum semel firmiter persuasa est non nisi unicum & solum esse Deum verum, animosè secum statuat, nulli deinceps, nisi illi soli adherere, qui tam facillè invenitur, ut præveniat quærentes se; tam promptè possideatur, ut omnibus se amantibus liberaliter tribuat ac donet seipsum. Ah!



Ah! si aliud non esset, nisi intolerabilis labor, quem sustinere oportet in acquirendis mundi bonis fallacibus, salacibusque ejusdem solatiis nonne abunde hoc esset ad ingenerandum animo eorundem fastidium? Et si aliud non foret, nisi maxima promptitudo in inveniendis, & possidendo Deo, nonne hoc omnes deberet allicere, omnes ad ipsum trahere? Ama ipsum & possides. Bona animæ desideria ipsum quærunt, perseverantia invenit, amor possidet. Ecce totum, quo tibi constabit, laborem. Si Deum amare nōsti ex toto corde tuo, in instanti possessionem adis boni infiniti.

O Bonitas Unius Veri DEI, quem adoro, infinita ac immensa, quàm prompta est ergo te acquirendi facultas, quàmque pretio levi te nostris tribuis ac donas animabus! ut tuo fruamur, alterius non est opus favore; non enim est ulla ad favorem magis prona bonitas, quàm tua: Sed nec opus est mediatore, qui accessum ad te parat, quemcūque accedere volentem amplecteris, neminemque à te repellis; non abjiciendus est animus, si quis non polleat arte vel ingenio, nec aliis vel haturæ vel fortunæ dotibus, nihil horum requiris, sed acquireris, dum cordialiter à quocūque amaris: Et tamen videtur, vix quen-

quam esse, qui hoc te pretio habere velit. An ergo sit nimius hic labor? Sed quis unquam laborem invenit in illo amando, quod infinito est modo amabile? Vel an res illo non digna sit labore? Sed nemo conqueritur de laboribus subeundis pro mundi crepundiis, qui intolerabiles tamen sunt; Et sit, qui credat, Deum dignum non esse, minimo adhuc esse felices, si omnibus obruti laboribus, quos à protoparente nostro gemebundi exantlarunt & exantlabunt omnes mortales usque ad ultimum, qui nascetur, adire possemus possessionem boni infiniti; Cum certi simus, omnes hosce labores fore momentaneos & mox transitorios, pretiosam autem illam possessionem fore æternam,

Addere plura haud opus erat. Hæc scœmina, quæ accesserat totâ desperatione affecta, retulit gradum plena solati, Benedicens Deum in corde suo eandem ob causam, quâ prius ad blasphemandum fuerat inducta: siquidem clarè intuebatur dispositionem providentiæ ipsius super se plenam miseratione, quam exhibuit, dum idola sua contrivit, & ad beatam deduxit necessitatem, deinceps omnia quærendi in ipso solo, utpote exspoliata omnibus, è quibus extra ipsum haurire poterat solatium.



tium. Aufer omnia, mi Deus, dicebat, ex eo in semetipsam reversa, perforce opus tuum, exue me omnibus præter te; sat dives sum, consolata abundè, si solus mihi maneat superstes. Misericordias tuas in æternum cantabo, quæ reperire me fecerunt Deum in iacturâ creaturarum, quas perire fecerunt. O Felix

iactura, quæ tam ingentem consignavit mihi thesaurum! Ah! si in facultate meâ esset modò omnes possidendi facultates ac prosperitates, quibus olim in mundo affluxi, vel quibus adhuc affluere anhelavi, quàm longè minoris illas omnes penderem, quàm unicum cordis desiderium, quâ unicè tua tota esse volo in tempore & æternitate.

## CONSULTATIO VI.

### De Trinitate Divinarum Personarum.

Mysterium Trinitatis deprimat doctos & elevat indoctos.

Qui dicunt, adorandum Sanctissimæ Trinitatis Mysterium non intelligi, nisi à doctis & magnâ ingenii laude præstantibus, nec agendum de argumento tam sublimi cum simplicibus, rem in contrarium omninò detorquent sensum. Verum quidem est, hoc esse ex omnibus nostris Mysteriis præcipuum, quod intellectu minus comprehendendi, verbis minus possit explicari: Sed id ipsum quoque est, quod altius extollit intellectum simplicium, magis deprimat, confundit ac humiliat mentem sapientum & doctorum. Non ipsorum est, de his loqui, cum omnia, quæ lumine scientiarum acquiratarum circa hæc intelligere possunt, nihil sint respectu eorum, quæ fides de his

docet fideles vel plurimum ignaros. Divina hæc fidei lumina, quæ descendunt de Cælo, ad illustrandas Christigenarum mentes ingenii acie minus instructas, confundunt omne robur, vim & congenitum acumen virorum sapientissimorum. Tacendum igitur sapientissimis quibusque in hoc argumento, ad addiscenda ex ignorantibus divina oracula, quæ Deus abscondit à prudentibus & sapientibus, & revelavit ea parvulis, id est, humilibus. Et tandem ad demonstrandum tibi hoc experimento magis uculento, congregemus hic viros totius mundi sapientissimos; Eligamus ex illis ingenia magis eximia, magis subtilia, magis illuminata, magis acuta, magis arguta; Accipiamus illos, qui